

sumpto crescunt ac confortantur homines.

Quarto, florem velut caput versus cœlum protendendo, et solem quasi genitorem suum aspectando. Ita Christianus crescit Deum habendo semper præ oculis et omnia ad ejus gloriam operando: *Ambula coram me et esto perfectus*, ait Deus Abrahæ, Gen. XVII. q. d. sic fies perfectus. Quo præcepto S. Dositheus imbutus a S. Dorotheo monente: *Cogita semper Deum tibi præsentem et te coram illo stare*, ex dissoluto milite perfectus evasit monachus.

IV. Docent Ecclesiam exornare virtutum splendore et varietate, quemadmodum lilia seu flores exornant pratium, vel agrum. Sane Ecclesia agro comparatur in evangelio; et S. Augustinus, lib. XVI. de civit. cap. XXXVII. in Christo ejusque Ecclesia allegorice impletum esse testatur, quod de filio suo Jacob dixit Isaac benedicendo illi, Gen. XXVII. *Eccc odor filii mei sicut odor agri pleni*. In hoc agro: « Aliter olet flos uvæ, inquit, S. Gregorius, homil. VI. in Ezech. quia magna est Prædicatorum virtus et opinio, qui inebriant mentes audientium: aliter flos oliivæ quia suave est opus misericordiæ, quæ more olei fovet ac luget: aliter flos rosæ, quia mira est fragrantia, quæ rutilat et redolet ex cruore martyrum: aliter flos lilii, quia candida vita carnis est de incorruptione virginitatis: aliter flos violæ, quia magna virtus humilium qui ex desiderio ultima loca tenentes per humilitatem se a terra in altum sublevant et cœlestis regni purpuram in mente servant: aliter redolet spica, cum ad maturitatem perducitur, quia bonorum operum perfectio ad satietatem eorum, qui justitiam esuriunt præparatur. » Hæc Greg. Demum universim: « Cum in Ecclesia (inquit Theophylactus archiepiscopus Bulgarorum in id Osæ XIV. *Israel germinabit sicut lilium*) videris aliquem bene vivere et luce virtutum coram hominibus splendere, illum vocato lilium. » Ita ornabant Ecclesiam primi Christiani, de quibus apostolus ait: *Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salvifunt, et iis qui pereunt*, II. Cor. II.

V. Docent denique suspirare ad cœlestem beatitudinem et beatorum societatem. Si enim in mundo tanta cernitur florum varietas, tantus decor, tanta fragrantia, florum, inquam, qui hodie sunt et cras in clibanum mittuntur: quantus erit decor, quanta varietas, quanta gloria electorum in regno Dei? Qui ad exterarum nationes pergeret, semper novos et novos flores inveniret? Ita et in cœlo ss. angelorum et electorum immensa varietas est. Interim vero in tanta varietate summa quoque unitas est. Ut in eodem horto vel areola flores omnes suo decore

contenti sunt, nullus alterum impedit aut de statione sua pellit, omnes solem spectant eoque aspectu vivunt, vegetantur et recreantur. ita in cœlo quoque beati sua gloriæ portione singuli contenti sunt, nemo alteri molestus est, nemo invidus est. Omnes enim Deum ad faciem vident, eoque aspectu vivunt, recreantur et satiantur per omnem æternitatem.

CONCIO IV.

VOLATILIA QUID NOS DOCEANT.

I. Dicunt ab iis principes. — II. Subditi. — III. Magistratus. — IV. Cives. — V. Patresfamilias. — VI. Servi. — VII. Pastores animarum. — VIII. Parochiani. — IX. Religiosi. — X. Sæculares. — XI. Parentes. — XII. Liberi. — XIII. Fratres. — XIV. Conjuges. — XV. Virgines. — XVI. Viduæ. — XVII. Pupilli. — XVIII. Senes. — XIX. Juvenes. — XX. Divites. — XXI. Pauperes. — XXII. Justi. — XXIII. Peccatores. — XXIV. Christiani omnes.

THEMA.

Respicite volatilia cœli. Matth. VI.

Vera et cœlestis sapientia, auditores, non solum e litterarum studio, verum etiam e creaturis omnibus, sana mente expensis, hauriri potest. Scimus D. Antonio totum mundum fuisse quasi librum, e cujus creaturis v. e. foliis suam hausit sapientiam. De S. Gregorio cognomento theologo memoria proditum est, solitum ipsum ex qualibet re occurrente, bene moratæ vitæ documenta elicere, ac singula quæ audiret et videret, ad morum informandorum disciplinam convertere: D. Bernardus doctrinam suam fagis adscribit et quereubus, inter quas versabatur aliquamdiu in solitudine. Propterea igitur Christus in hodierno evangelio remittit nos ad volatilia cœli et ad lilia campi; ut inde etiam discamus confidere in Deo. Cæterum quia longe plura sunt, quæ ab his creaturis edoceri possumus, conferamus hodie nos ad scholam volatilium. Alio tempore conferemus nos ad scholam liliorum. Quid ergo et quos homines docent volatilia?

I. Quid a volatilibus discunt principes? Clementia erga subditos. Docet hanc apum rex, qui vel solus sine aculeo est, vel eo saltem non utitur. De qua re scribit Seneca, l. I. de clementia, c. XIX. « Iracundissimæ ac præ corporis captu pugnacissimæ sunt apes et aculeos in vulnere relinquunt: rex ipse sine aculeo est. Noluit filium naturæ nec sævum esse, nec ultionem ma-

gno constaturam (vita scilicet) petere: telumque detraxit et iram ejus inermem reliquit. Exemplar hæc magnis regibus ingens. » Alexandro Severo imp. Mammæa mater et Memmia uxor nimiam clementiam improperebant, dicentes: « Molliorem tibi potestatem et contemptibiliorum fecisti. » Quibus ipse: « Sed securiorem, inquit, et diuturniorem. » Refert Spartanus. Testis accedit Salomon, qui Prov. XX. ait: *Roboratur clementia thronus ejus* (regis): ad hæc: *Nihil aliud tam peculiare imperiali majestati est, quam clementia et humanitas, per quam solum Dei servatur imitatio*, ait Justinianus imp. leg. ult. cod. de don. inter vir. et ux. rursus: « Nihil est quod imperatorem melius commendet gentibus quam clementia, » inquit M. Antonius genit.

II. Quid discunt subditi? Honorem et amorem erga principes suos. Docent hoc cætere apes, quæ in conspectu sui regis aculeos submitunt, quasi fascies (prisco Rom. more) veluti illum honorantes agnoscentesque se ei cedere dignorem locum. Ad hæc mire ei obediunt in omnibus et cum ejus jussu ad somnum capiendum signum datum est, illico se ad stratum conferunt. Fugitivum etiam insequuntur et in regnum reducunt, ac si quidem senio affectus est, vehunt et conglobati cingunt proteguntque nec cerni patiuntur: qualibet ipsi proxima esse cupit et in officio conspici gaudet, circa eum satellites pro eo pugnantes et perire pulchrum putantes, regiam ei amplam in una alvei parte extruunt: extinctum lugent, ignavo, inquit Plinius, dolore, siquidem nec cibos convehunt, nec procedunt: tristi tantum murmure glomerantur circa corpus ejus. Quod hic documenta habent subditi amoris, honoris, obedientiæ erga suos principes?

III. Quid magistratus? Justitiam et severitatem in plectendis scelerosis. Docent hanc eadem apes, quæ fures in alveare subrepentes et favos alienos depascentes corripiunt, et primo quidem furto non occidunt, sed modice verberant expelluntque alis et tamquam in exilium eicieunt; at rursus deprehensos aculeis confixos extremo afficiunt supplicio. Nec facile est furibus aut latere aut effugere; sunt enim in quovis aditu custodes: et fur ipse satietate repletus nequit volare, sed ante alveum volutatur, Arist. hist. anim. l. IX. c. IV. Alianus, l. I. c. IX. Accedunt et ciconiæ, quæ cum ad certum locum convolant ut simul ad mitius cœlum migrent, eam quæ novissimo advenit et cæteris in mora fuit, lacerant, Pier. l. XVII. hierogl. Viderint ergo magistratus ut et ipsifares aliosque malefactores debito modo puniant, quemadmodum et otiosos et qui bonum publicum affligunt.

IV. Quid cives? Communionem onerum pariter et honorem. Docentur hoc a gruibus, quæ dum volandum est, unam sibi præstituunt itineris ducem, quæ ubi certo tempore agmen duxit, abdicat se ducatu et extremum sortitur locum, atque ei, quæ sequebatur, ducendi agminis honorem cedit; idque earum singulis obvenit ex ordine. « Quid hoc pulchrius, inquit D. Ambrosius, l. V. hexam. c. XV. et laborem omnibus et honorem esse communem, nec paucis arrogari potentiam, sed quadam in omnes voluntaria sorte præscribi? Antiquæ hoc reipub. munus et instar liberæ civitatis est, sic ab initio acceptum a natura, exemplo avium, politiam homines exercere cœperunt ut communis esset labor, communis dignitas, per vices singuli partiri curas discerent, obsequia imperiæque dividere, nemo esset honoris exors, nullus immunis laboris. Hic erat pulcherrimus rerum status, nec insolescebat quisquam perpetua potestate, nec diuturno servitio fungebatur, etc. Nemo audebat alium servitio premere, cujus sibi successuri in honorem mutua forent subeunda fastidia: nemini labor gravis, quem dignitas securitatura relevaret. » Hæc Ambr.

V. Quid patresfamilias? Confidentiam in Deum et moderamen sollicitudinis. Docent hoc in commune aves omnes, quæ per aere præagantur. Neque habent illæ heros qui pabulum ei præbeant, uti habent aves domesticæ: non serunt neque metunt, nec congregant in horrea, pro futura hieme, quod faciunt formicæ et alia animalia: solo Dei presidio nituntur et omnes a Deo pascuntur; nulla unquam cernitur interire fame. Atque hoc exemplum proponit nobis Dominus in hoc evangelio. Non proponit Moyses, Eliam, Joannem Baptistam, Paulum eremitam, quos in deserto sustentavit mira Dei potentia: quia possemus dicere, fuisse eos magni meriti viros, nobis nihil tale sperandum, etc. aviculas proponit, de quibus existimare posses, nullam esse Deo curam. Quod quidem omnibus dictum est, præcipue tamen patribusfamilias, qui multos habent liberos et magnam alunt familiam, ut in Domino confidant noxiamque sollicitudinem ponant.

VI. Quid servi? Vigilandi et laborandi industriam. Docent eam grues, quæ et regem habent cui obediunt, et quem una cum grege suo custodiant, vigilando pro universis, atque ut impensius vigilent, lapillum pede sustinent, qui laxatus somno et decidens casu suo dormientem excitet ac redarguat, Ambros. lib. V. hexam. c. XV. Hunc in modum servi et ancillæ res dominorum suorum custodiant et pro illis excubent. Laborem discunt ab apibus, quibus nulla

dies, quamvis per cœlum volitent otio perit. Interdiu etiam excubant contra vespas et similes prædones. Una omnes mane ad labores excitat edito bombo, quo audito omnes provolant et ad laborem exeunt, otiosas vero pellunt. Quæ omnia si imitentur servi et ancillæ, digni erunt mercede sua.

VII. Quid pastores animarum? Vigilantiam super gregem suum. Hanc discunt ab anseribus, qui de nocte dormientibus hominibus vigilant atque excubant, easque vigilias cantus assiduitate testantur. Cui rei fidem facit Romanum Capitolium, quod in Galli hostis potestatem venisset, nisi vigilantes anseres hostem animadvertentes, cantu suo vigiles excitassent, qui hostem jamjam ascendentem repellerent. Præcipuum hoc pastorum est officium, invigilare gregi suo, ac si quidem hostis irreperit in ovile, si vitia invalescunt, clamoribus et concionibus proderet ac objurgare hostem, dormientes in peccatis homines excitare, ad pellendum hostem impellere. Ita præcipit apostolus Timotheo episcopo: *Tu vero vigila, in omnibus labora*, II. Timoth. IV. Ita Christus ipse per manum Joannis episcopo Sardicensi: *Esto vigilans et confirma cætera, quæ moritura erant*: et mox: *Si non vigilaveris, veniam ad te tamquam fur*. Romani canes, qui tunc muti erant, cum Galli Capitolium invaserant, cruci affixerunt. Viderint pastores, si non anseres vigilantes, sed canes muti fuerint. Terreat ipsos, quod scribit Antiochus, homil. CXI. « Oportet ut pastor totus meus oculusque virgam seu baculum gestet oculatum et vigilantem (instar illius Argi scilicet) ut ne una quidem concreditarum sibi pecudum rejicicula fiat. »

VIII. Quid parochiani? Obedientiam erga pastorem. Respiciant hi falconem, qui cum ad nubes usque emissus fuerit in ardeam, facili negotio ad aucupem revocatur, ut pugno ejus insideat et pedicæ sibi rursus indui permittat, minimo inquam signo, vel sibilo aut pabulo proposito. Hujus ergo exemplo, si quis per peccatum longius evolavit sectando prædam illicitam, honores, voluptates, lucra, cum audit sibilum pastoris sui, cum videt, propositum sibi verbum Dei et s. eucharistiæ pabulum, non cunctetur, non comperendinet, sed illico ad pastorem suum ejusque obedientiam revertatur atque in sacramento poenitentiae inserat manus suas in vincula salutis. Respiciant et Sinarum anates, quarum maximam vim in agris alunt juxta littus maris, ovium instar, quas sub vesperam in naves ut revocent, soliti sunt tympano signum dare, quo audito, mox celerrime quo advocantur, advolant, atque ad sua se recipiunt. Refert P. du Jarric. tom. II. l. IV. c. XVIII. Ergo etiam pa-

rochiani cum edito campanæ signo convocantur ad ecclesiam, quæ vera ipsorum domus est, celerrime omnes advolent et vocem pastoris audiant, sacræ missæ et concionis pabulo animas suas impingent.

IX. Quid religiosi? Cultum Dei impensorem. Respiciant hi imprimis in aviculas, pene omnes, quæ potissimam vitæ suæ portionem in aere consumunt, ad terram non nisi pabuli gratia descendunt, Deum quoque cantu suo mane et vespere laudant, non secus ac in organo fistulæ quas ad cantum impellit organicen. Respiciant deinde speciatim in philomelam, quæ vilis aspectu avicula griseas gerit pennas, cantum tamen edit dulcissimum, non de die tantum, sed de nocte quoque et cum ovis incubat, ut longæ noctis tædium modulatione pellat. Ergo et religiosi suam conversationem potissimum in cœlo et cum Deo habeant, ad terram et terrena negotia non nisi necessitatis gratia descendant. Ad hæc mundo crucifixi et despecti sint, vili contenti habitu: nec interdiu solum, sed et noctu ad laudandum Deum assurgant: in mensa, in strato, in templo undique Deum laudent seu voce seu factis.

X. Quid sæculares? Temperantiam, a certis perdicibus, quæ Cirrheæ dicuntur. Hæ sibi consciæ, quod nec ad certamina valeant nec pulchre canere norint, et si capiuntur, præda ad pabulum futuræ sint capientium, naturali quodam astu seipsas macie conficiunt, abstinentque ab omnesca, grata licet palato, qua impinguari possent: comedunt potius allia, quæ impediunt pinguedinem et carnes earum insuaves reddunt, ac proinde inidoneas ad hominum convivium. Refert Anton. de Balinghem, in zoop. Huc respiciant sæculares, et siquidem cum monachis se non posse crebro orare, nec cum ascetis poenitentiae subire certamina asserunt, discant saltem imperare ventri suo, ne in abdomen crescat et temperantiæ limites excedat. Sciant alioquin diabolicos venatores sibi a tergo fore et innumeris vitiorum, quæ gulam sequuntur, laqueis animam erepturos; quod non facile fiet, si temperantes semper ac sobrii sint. Hinc tot apostoli monita de sobrietate: *Vigilemus et sobrii simus*, I. Thessal. V. et mox: *Qui diei sumus, sobrii simus*: rursus ad Titum II. *Senes (hortare) ut sobrii sint*: et mox: *Juvenes similiter exhortare ut sobrii sint*: et S. Petrus, ep. I. c. VIII. *Sobrii estote et vigilate*. Quamquam avis ista plus quam sobrietati studet, mortificationem etiam adhibet, gratam escam sibi præscindit et ingratam eligit, macieque seipsam conficit. Quid ergo faciant homines?

XI. Quid parentes? Liberorum educationem.

Respiciant illi aves omnes, quæ magna sollicitudine enutriunt ac tuentur pullos suos contra insidiatores: respiciant in lusciniæ quæ proles suas cantum edocent ac errantes reprehendunt: respiciant in accipitres, qui foetus suos jam ad volatum idoneos ejiciunt e nido, ut sibimet escam quærant; alioquin nullam eis adferunt: respiciant ad aquilas, quæ pullos suos ungue suspensos probant ad conspectum solis, atque genuinos retinent, spurios vero abjiciunt: respiciant ad cornices, quæ æquali in proles suas feruntur amore, pari sedulitate omnes volatu comitantur ac nutriunt. Ergo etiam ipsi magnam filiorum curam gerant: doceant eos principia fidei christianæ: assuefaciant et impellant ad labores et a puero quidem: examinent cui studio sint idonei vel inidonei: amorem quoque suum ex æquo in eos dividant, ne alioquin odia et æmulationes inter eos excitent.

XII. Quid liberi? Pietatem in parentes. Videant hi ciconias, quæ genitores suos de fluxu pennarum per senium laborantes, suis plumis fovent, volantes succollant, esurientes pascunt: videant et meropes, quæ non solum in senectute parentes alunt ut ciconiæ, sed ubi primum volare didicerint, eo pietatis officio funguntur. Ergo ipsi quoque omnibus humanitatis et benevolentiae officiis prosequantur parentes suos: pauperes sustentent: fessos sublevant: infirmis serviant, imo etiam valentibus.

XIII. Quid fratres? Mutuam concordiam. Aspiciant hi grues, quæ simul volant, cumque ab aquila se impeti sentiunt, in orbem omnes consistunt et contractæ in sinum falcataque existunt, et quasi in aciem compositæ speciem pugnae efficiunt, qua terretur aquila et regreditur. Spectante etiam Ferdinando rege Alphonsi I. filio supra molem Neapolitanam, ad sturnorum turmam advolavit aquila: qua inspecta sturni omnes in unum conglobati volando sibi hæserunt, itaque effecerunt ut aquila nullo pacto auderet eos invadere. Refert Ambr. Nolanus, l. probl. CCCIV. Ergo fratres quoque animorum unionem sedulo observent et invicti erunt.

XIV. Quid conjuges? Mutuam fidem atque amorem. Aspiciant palumbes, a quibus adeo colitur conjugalis castitas, ut nunquam alienum cubile attingant, quod si libidine capti, facere attentent, eos reliqui circumsedentes, mares quidem mares, feminas vero feminæ discerpunt, Ælian. l. III. c. XLIV. Sancivit sane et Constantinus imp. (cod. ad leg. Jul. de adult. l. quamvis): *Sacrilegos nuptiarum gladio feriunt*. Sed quis Constantinus præcepit hoc columbis illis? Quod attinet ad amorem, aspiciantur alcedines, quæ senes jam

maritos medio dorso gestantes circumferunt: graculos aspiciant, qui mortis potius subeunt pericula, quam ut conjuges suos derelinquant, auctore Athenæo: aspiciant gallos gallinaceos, qui ubi granum aliquot aut vermiculum nacti sunt, certo quodam sono convocant gallinas et prædam illis dividunt.

XV. Quid virgines? Castitatem ab apiculis, quæ imprimis a commixtione immunes Venerem non agnoscunt; deinde obscœnum recentem a complexu venereo adventantem agnoscunt, ac velut hostem insequuntur, Arist. l. V. anim. c. XXI. Plin. l. XI. c. XVI. denique, delicias avertantur, quia unguentis odoribusque delibutos insectantur; oleo perfusæ emoriuntur, aceto reviviscunt, Ambros. l. V. hexam. c. XXII. Igitur et virgines fugiant obscœnos seu homines seu sermones, fugiant et delicias, ne mortem virginitatis incurrant, asperitatem potius vitæ colant.

XVI. Quid viduæ? Gemitum et luctum. Respiciant in turturem, quæ perditio semel compare, alterum non admittit, sed in luctu et solitudine reliquum vitæ agit, gemitum pro cantu edit: *ivridibus ramis non insidet*. Hujus exemplo viduæ luctui, orationi et solitudini se addicant: mortem meditentur: vestium ornatum, choreas, nuptias aliasque sæculi delicias fugiant.

XVII. Quid pupilli? Orationem et spem in Deum. Primum, a corvorum pullis discant, qui deserti a parentibus, hoc solum in nido reliqui habent ut vociferentur quasi ad Deum, qui vel rore vel vermiculis pascere eos solet. Unde Psal. CXLVII. dicitur: *Qui dat jumentis escam ipsorum et pullis corvorum invocantibus eum*. Alterum, ab aleyonibus, quæ dum circa mediam hiemem pullos excludunt, obtinent hanc gratiam ut illis diebus (qui inde vocantur a nautis aleyonii) mare conquiescat, ne pullos eorum obruat ac demergat. Ergo etiam pupilli ad Deum vociferentur, et aderit illis Deus. In gratiam unius servi Ægyptii, qui derelictus ab hero æger in agro triduo nil comederat, direxit Deus Davidem cum quatuor centum viris ut inventum refocillarent, I. Reg. XXX.

XVIII. Quid senes? Mortis expectationem, hilarem ac tranquillam. Respiciant in cygnos, candore sibi similes, cui ad vitæ exitum tanta est animi tranquillitas, ut sibi epicenium seu funebre carmen canat, non dolens de vitæ jactura, sed gaudens de ereptione e vitæ suæ miseriis, Ælian. l. X. c. XXIII. Arist. l. V. anim. c. XXXIV. qui ait eos canentes a quibusdam mare Africum navigantibus auditos, nec ita multo post mortu visos. Igitur et senes ad mortem se componant, hilari mente excipiendam, memores se per eam

veluti per januam ingredi ad vitam immortalē, nullis calamitatibus obnoxiam. Sic canebat Simeon senex: *Nunc dimittis servum tuum, Domine: sic* Cyprianus martyr, qui accepta mortis sententia: *Deo gratias*, ait.

XIX. Quid juvenes? Mortis timorem, prae oculis semper habendum. Respiciant illi in vultures, qui expeditos ad praelium exercitus praesensione naturali consequuntur, scientes ibi non defore cadaverum humanorum adeoque pabuli sui innumeram congeriem, quam et ex longinquo intervallo odorantur magna cum voluptate. Hunc in modum juvenes praesentire oporteret semperque animo versare mortem, etsi longe adhuc distantem. Cogitare enim deberent, quam multi quotidie ad mortem pergant, et quam multi insperato ac malo fine pereant, quod tot aliis contingit, sibi contingere posse. Si hoc modo mortem a longe odorarentur et ad eam se componerent, mors illis suave epulum fieret.

XX. Quid divites? Liberalitatem erga pauperes, instruuntur hi ab aquila, quae nunquam sola praedam suam (nisi admodum famelica sit) devorare solet, sed caeteris volucribus, praedae causa eam sectantibus, velut mensae sociis communicat, sua tamen prius accepta portione. Vident hic opinor, divites, sibi etiam incumbere (si ingenuo et liberali animo praediti esse velint) ut superflua sua dividant cum egentibus. Hi enim eos sectantur velut aquilam volucres aliae, ut ipsorum ope vivant. Talis aquila fuit Tobias, qui omnia, quae habere poterat, concaptivis fratribus quotidie impertiebat, Tob. I. talis et Job, qui dixit: *Si comedi buccellam meam solus et non comedit pupillus ex ea, etc. humerus meus a junctura sua cadat, Job XXXI.*

XXI. Quid pauperes? Gratitude erga benefactores suos. Docent hanc aquila: quod ostendi posset pluribus historiis, unam videamus. Narrat post Philarchum Aelian. I. VI. cap. XXIX. de puero quodam, a quo aquilae pullus magno studio alebatur et ideo ei amicissimus est factus. Accidit ut puer aegrotaret, tum ei aquila officiose assidebat; cum quietem caperet puer, ipsa quoque se quieti dabat; cum vigilaret, ipsa quoque somnum fugabat; ipso cibo non capiente, similiter abstinerebat; cumque is e vita excessisset et efferretur humandus, ipsa funus prosecuta est; et cum is cremaretur, in rogam se immisit. Ergo hanc gratitudinem pauperes imitentur, et si de mensa vel elemosyna alienius vivunt, viderint ut ei, qua possunt ratione, grati sint, afflicto compatiantur et inserviant ac pro eo orent: defuncti funus prosequantur: ejus honorem tueantur contra obtrectatores: benefacta ejus collaudent.

XXII. Quid just? Cautelam in vitandis peccatis et superandis daemone insidiis. Docentur hoc ab anserē partim, qui lauri folia ne quidem fame pressus attingit, quod sciat ea sibi postifera et mortem allatura esse; partim ab anate, qui cum aquilam sibi desuper imminente conspicit, illico se intra aquam abdit atque infra eam natando, alio loco emergit, sicque aquilam fatigat et eludit. Sic igitur et just peccatum super omnia fugiant velut pestem animae suae: nec attendant ad ejus dulcedinem, sed amaritiam considerent. Deinde, imminente tentatione recipiant se in fundum humilitatis suae: non praesidant viribus suis, sed fuga se subducant, praesertim in tentationibus carnis, vel in sepulcrum se demergant.

XXIII. Quid peccatores? Penitentiam et respicientiam. Discant hanc a perdicum pullis, qui cum non a legitima, sed aliena matre foti atque exclusi sunt, mox ut ejus matris, e cujus ovis prodierunt, vocem animadvertunt, priore illa relicta, ad hanc tanquam veram parentem se conferunt: Vos, o peccatores, a Deo geniti estis, medio baptismo: verum a diabolo, illegitimo parente abrepti et quasi exclusi estis. Vestrum igitur est, voce Christi percepta, mox deserere diabolum, et reverti ad patrem vestrum. Hirundines e nido suo stercorea ejiciunt: occur vos e cordibus vestris neccatorum sordes non ejicitis? Cur veluti jumenta computrescitis in stercore vestro? Turtur et hirundo cognovit tempus suum: vos non cognoscitis Dominum vestrum?

XXIV. Quid denique Christiani omnes? Charitatem mutuam, imprimis erga aegros ab exemplo apum, quae aegrotas quidem ad solis exponunt radios in alvearis ostio, ad eas cibum deferunt, iis comiter assistunt quasi consolaturae: nocte appetente eas in aedulas referunt, nec laborare sinunt priusquam convalescant, mortuas denique afferunt. Quid aliud praestari filio ab amantissima matre posset? Sed hic finiamus. Respiciate, auditores, in haec volatilia, eorumque exemplo sapite.

CONCIO V.

QUAM DIFFICILE SIT DIVITEM DEO SERVIRE.

- I. Quia divites difficulter audiunt Dei verbum. — II. Quia divites suspecti de iniquo mammonae. — III. Quia opes difficile est tractare sine peccato. — IV. Quia ad Deum et divina vix attendere possunt. — V. Quia difficulter vocanti Deo respondent. — VI. Quia se difficile continent a vitiis.

THEMA.

Non potestis Dei servire et mammonae. Matth. VI. Quarto Reg. VII. scribitur, Syros obsedis

mariam et Deum in castris eorum sonitum edidisse curruum et equorum exercitus plurimi, quasi contra se armati, indeque Syros perterritos fugisse et omnia sua post se reliquisse, tentoria, equos et asinos: animas tantam suas salvare cupientes. Tam terribiles verborum sonitus edidit Christus contra divites passim in evangelio, ut mirum non esset si Syrorum instar omnibus derelictis fugerent, et animas tantum suas salvare cuperent. Quid enim? Annon terrificus ille sonitus, Marc. X. *Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt?* Annon et ille, qui mox sequitur et obstupescitibus discipulis ingeminatur: *Filioli, quam difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire?* Annon et is qui subjungitur: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei?* Nonne et is Luc. VI. *Vae vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram?* Nonne et is, qui in hodierno evangelio auditur: *Non potestis Deo servire et mammonae?* Quid haec aliud, nisi terribile praesagium adventantium super nos hostium? Certe haec tonitrua discipuli timuerunt et relictis omnibus secuti sunt Christum. Audivit in templo S. Antonii ex evangelio illud: *Si vis perfectus esse, vende omnia quae habes, et veni sequere me;* statimque venditis omnibus obtemperavit: audivit S. Franciscus ex evangelio: *Nolite possidere aurum neque argentum, etc.* statimque eam sibi regulam sequendam statuit: audit et sub noctem S. Lucius rex Angliae olim, post Sueviae apostolus, vocem Dei dicentem: *Luci, non potes duobus dominis servire,* statimque posito regno secutus est Deum. Isti igitur ad unam Dei vocem omnia reliquerunt: et divites ad tot terrificos sonitus nihil moveantur? Nimirum profecto sibi fidere videntur, et contra Domini verbum, duobus se dominis servire posse autumant, Deo et mammonae. Nescio mercede. Quod enim dives qui mammonam et pecunias habet salvari possit, credo equidem quod vero dives, qui mammonae servit et in pecuniis confidit, salvari queat: hoc non credo. Hoc attendit evangelium hodiernum. Illud ego hic ostendam, plenum esse periculo.

I. Qui Deo servire volunt, vocem ejus audire debent juxta id: *Qui ex Deo est, verba Dei audit:* atqui dives verbum Dei difficillime audit. Scimus enim semen quod cecidit inter spinas, Matth. XIII. suffocatum periisse. Spinae sunt divitiae ex Domin. interpretatione. Ubi spinae altiores fuerint seminae, id suffocant: ita si curae divitiarum majores sint, cura salutis, similiter hanc opprimunt. Igitur cor divitis, ager spinosus est: cor vero pauperis, terra bona. Unde Plato rogatus

ab Erinensibus civibus, ut leges eis daret, renuit, eo quod divites essent; qui ordinarie regere quam regi malunt. Cardinalis Bellarminus, serm. de epiphania, comparat pauperem ligno arido, divitem viridi, atque verbum Dei ignem esse, quem venit Dominus mittere in terram, ut accendatur, Luc. XII. Jam vero lignum aridum celerrime concipit ignem; viride vero difficillime: admotum enim igni strepit, fumat, gemit. Ita divites ad verbum Dei fastidiosi sunt et rebelles si flectere debent ad orationem, oportet eos habere pulvinar: ne frangantur crura: si jejunare, sumunt in prandio duplum, ne vacuum in ventris quid remaneat: si aura frigidiore eundem ad ecclesiam, prius domi pellibus involuti ad fornacem sedere debent. Testem ad vocem expertam suo damno divitem illum epulone, qui Luc. XVI. volens consulere fratribus suis, rogat Abrahamum ut mittat Lazarum ad quinque fratres suos, quo testetur illis, ne et ipsi veniant in locum tormentorum. Cui respondet Abraham: *Habent Moysen et prophetas, audiant illos.* At epulo: *Non, pater Abraham* (id est, non eos audient) *sed si quis ex mortuis ierit ad illos, penitentiam agent.* Quid ad haec Abraham? *Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Ecce divites non tantum non audiunt vivos prophetas, sed etiam si mortui illis praedicarent, penitentiam non agerent. Quid adhuc egamus testibus? Non audiunt vivos, ex sententia Abraham. Igitur: *O quam difficile est divitem introire in regnum Dei?*

II. Qui Deo servire vult, nihil secum alieni ferre debet, unde jubet Dominus, discipulos suos etiam pedum pulverem excutere, cum exeunt alienis et domibus aut civitatibus, Matth. X. in signum quod nihil ab eis acceperint, ut sentit Chrysostomus et Theophylactus, in Marci cap. VI. Atqui divitiae iniquitatis suspicione non carent. Dicant quidem omnes divites, mea sunt quae habeo. Nescio hoc: illud scio, vocari a Domino divitias *mammonam iniquitatis*, Luc. XVI. qui ut Hieronymus, epist. ad Hedibiam ex vulgata sententia ait: *Omnis dives aut iniquus, aut iniqui haeres:* et Pierius, lib. XII. in fine, divitias quasi *de vitiis* dietas vult. Caecus ille Tobias cum audisset in domo sua vocem haedi balantis, dixit: *Videte, ne forte furtivus sit: reddite eum dominis suis, quia non licet nobis edere ex furto aliquid, nec contingere,* Tob. II. Caecus iste dives est, qui inter tot bona sua merito suspicari potest, furtivi quid latere, tametsi forte id perspectum non habet. Restat igitur, ut cum Tobias dicat animae suae, ne fortasse furtivae sint divitiae tuae: atque a deo cum Deo compositionem faciat, certum pro